

Exhauritio  
Memoria

THOMAE ERASTI

Experiētia est rei eiusdem sæpius eodem modo factæ observatio aut memoria. Qui semel aut bis aut ter aliquid vidit fieri, is nondum experientiam habere dici potest, nisi sæpius viderit. Est enim experientia duplex: Propria & impropria. Illa est certa, constans, perfecta, Galenus *διωρισμένην πείρα* nominat: hæc imperfecta est, confusa, incerta, lubrica, & à Galeno *ἀδιόριστος & σφαλερὴ* vocatur. In hac magnum est erroris periculum *διὰ τὸ ἀδιόριστον*, (de quo præclare Gal. lib. 2. de dignot. ex pulsib. cap. 2. disserit) & proinde pro experientia nō recte habetur. Oritur experientia omnis à sensibus. Quoties hi distincte & aperte obseruarunt aliquid ab aliqua re sæpe fuisse effectum, dicimur eius rei experientiam habere. Si cum distincta & manifesta sensione concurrat *λογισμὸς* seu ratio idem hoc firmè comprobans, quod sensus recte perceperunt, non tam crebra opus est observatione ad certæ experientiæ acquisitionem. Si obscure & dubie sensus de euentu aliquo iudicet, nec ratio evidens sensus iudicium confirmet, hoc est, si actio aliqua ab occulta & latente causa proficiscatur, experientiam certam ante non habebimus, quàm sæpissimè eundem illum euentum eodem modo ab eadem causa produci clare deprehenderimus. Tria hîc requiruntur, quorum si vel vnum desit, necesse est experientiam eam improprie & falsò ita nominari, ac nil aliud, quam opinionem seu imaginationē fallacem et incertam esse. Primum iam dictum est, vt nempe frequenter viderimus idem eodem modo fieri. Alterum, vt ab alia nulla causa presente effici potuerit, quam ab ea, quam nos causam esse existimabamus. Tertium, vt nō pugnet cum rerum natura & evidentia effectum talem à causa tali produci aut significari.

Videamus iam quomodo hæc instituto nostro de Cometarum significatione accommodemus. Cometas dicis esse indices maximorum malorum, de quibus initio diximus. Quæro vnde compereris ita esse: Rationem frustra tentabis adferre, cum tota eorum natura contrarium